


**Programma De Nvmine Israelis Tvtelari Ps. CXXI. Die Michaelis Festo A. MDCCXXXII. P. P.**

Helmstadii: Typis Pavli Diet. Schnorrii, [1732?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn871617870>

Druck Freier  Zugang





48

49. els.

Fa-1092 (48.)

1. Joach. Justus Kau de certitudine interpretationis sacrarum literarum. Region 1737.
2. Jon. Con. Schramm de Verborum Bibliorum verborum Helmsf. 1735.
3. Christi. Bernh. Trücher Observationes critico-philologicae in Gen. 1735.
4. Sam. Asteri de Eva ex Adam costae aedificatione ad Gen. 11. 22. 1716. Wittel 1674.
5. Jo. Fronmiat de Cherubim et gladio flammante. ad Gen. 11. 22. 1661. Wittel 1661.
6. Jo. Daath Seraholous de protuevangelio Paradisiaco ad Gen. 11. 22. 1732. Act 1732.
7. Jo. Friedrici Cotta observationes ad Gen. 11. 1. 2. 1737.
8. Christo. Wegleiter de serpente seductore ad Gen. 11. 1. 2. 1697. Act 1697.
9. Franc. Gabricius de impositione nominis Sethi ad Gen. 11. 25. Lugo. Mat. 1712.
10. Jo. Guil. Naigerus de odore vestium Isaac ad Gen. 27. 1706. Act 1706.
11. Jo. Christian Alumius de Messia in visione Jacobo adumbrato ad Gen. 28. 12. Joh. 1. 51. Helmsf. 1720.
12. Jo. Friedr. Naigerus de admirabili Jacobo cum Dauid sororibus coniugis ad Gen. 28. 12. Lips 1674.
13. Friedr. Christi Geffer de iuramento Josephi per vitam Pharaonis ad Gen. 42. 15. 16. Region 1731.
14. Jo. Brickmuth prodromus de vaticiniis Jacobaeo ad Gen. 42. 15. 16. Ten. 1651.
15. Jon. Con. Schramm de hisopis paschali ad Exod. 12. 22. Act 1735. Joh 2. 12. 29. Helmsf. 1735.


16. Jo. Seb. Denzau de judaeorum veterum factionibus et religio-  
nis ad Lev. XI. 20. xxxii. 6. 19. Lips. 1738.
17. Jo. Geo. Michaelis de duabus auctoritatibus purgationi  
suis eorumque mysterio ad Levit. XIV. 1-8 Hal. 1737.
18. Jo. Christo. Wickmannus hausen de corpore seismis et figuris non  
cruentatis ad Levit. xxx. 28. Witeb. 1718.
19. Jo. Geo. Abichtus de seniorum Hebraeorum acquisitione  
et officio servitio ad Levit. xxx. 29. Exod. xxxii.  
3. 1799. Math. III. 11. Joh. XIII. 4. Lips. 1702.
20. Petr. Jornius de manipulo primitiarum ex messe hordei  
ad Levit. xxiii. 16. 1 Cor. xv. 20. Col. 1. 17. Ed. 1700.
21. Christ. Kortholtus de Virga Aaronis florida ad  
Num. xvii. Kil. 1672.
22. Jo. Maier de virga Aaronis florida ad Num. xvii.  
o. Witeb. 1680.
23. Abrah. Calovius de conversione judaeorum ad Deut. xv.  
30. Hof. xiii. 4. 5. Mon. xi. 25. Apocalyp. xix.  
6-10. Witeb. 1679. reusf. 1701.
24. Jo. Wich. Helligerus de vestibus etis Israelitarum in de-  
sero ad Deut. xvi. 4. xxix. 5. Neh. ix. 25. Witeb. 1676.
25. Christo. Schöneich de verbis Moysi Deuter. xxix. 29. Reg.  
1721.
26. Jo. Geo. Abichtus de cubitis fascis ad Jos. v. 2. Lips. 1712.
27. Em. Tricar. Cobius de Sarcota ad Jos. xix. 29. Witeb  
1720. rec. Helmsf.
28. An. Dan. Habicht hofius de actum gideon ad Jos. vi. 24. Hof. 1697.
29. Jo. Frischmuthus de venigmate sanford ad Jos. xiv. 14. Jan. 1652.
30. Jo. Adr. Schmidius de regina Austria ad 1 Reg. x. 1. 179.  
Jan. 1693.

31. Jo. Trifschmidtus de Reine Prophetas nomine et prosapia  
 Reg. XVII. 1. Jen. 1609.
32. Val. Flaerius de Schw relo. ad 2. Reg. X, Lips. 1605.
33. Jo. Ga. Abichtius de Goete Jobi ad Jobi XIX, 25-26-27. Lips. 1608.
34. Jo. Andr. Siegrus de formula 4177. 797-49 de Goete  
informatio ad Job. XIX, 25. Lips. Died. 1707.
35. Franc. Wolkenius de 51728. in quo pendente fessis ad  
of XVI 25. A. Wittel 1729.
36. Jo. Trifschmidtus de Messias in sepulchris non relinquende  
nullique corruptioni obnoxio ad of XVI, 10. Jen. 1608.
37. Jo. Trifschmidtus de manuum pedumque Messias in eum  
crucifixione perforatione ad of XVI, 37. Jen. 1608.
38. Seb. Schmidius de reclione Messias ad of XVI, 8. Lips. 1608.  
reinf. Wittel 1738.
39. Jo. Leont. Reckenberger de specie domus ad of XVI, 14.  
15. Jen. 1737.
40. Jo. Deutschmannus de Christi hominis ad dextram positus  
ad of XX, 1. Wittel 1662.
41. Nich. Boccini de Ornamento fessis ad of XXVIII, 27.  
Wittel 1677.
42. Programma de numine Spualis tutelari ad of XXI,  
Helmsf. 1732.
43. Jo. Christi. Hebenstreit de pace super aquas mittendo. ad  
Coloh. XVI, 1. Lips. 1737.
44. Jan. Cor. Schramm de prophetis posterioribus Helmsf.  
1734.
45. Jo. Christi. Ortlob de causis verbi divini non faci.  
ad of VIII, 20. Lips. 1715.

46. Jo. Frischmuthus propaganda Messiae ad Jes. IX. 6. 44.  
Jen. 1662.
47. Andr. Daniel Habichtshorstius de Domino super nube leui equi  
tan et Aegyptum intrante. ad Jes. XIX. 1. Nov. 1689.
48. Jo. Andr. Darius de Judaeis proprio gladio jugulatus ad Jes.  
LIII. Witeb. 1679.
49. Christo. Sontagius de novissimorum novissimo ad Jes. LXIV. 2.  
(Cor. II. g. Act. 1697.
50. Jo. Friedr. Siebitzi meditatio, quae relicta applicacionem  
Neumanni ad Jes. XXXI. 27. examina Hal. 1777.
51. Jon. Conr. Schramm de causis regni Christi in his  
terr. ad Dauid III. 79. 14. 9. 10. Helmsf. 1774.
52. Erndol. Friedr. Neubauerus de Michade Messia et  
ipso Judaeorum sestimo comprobato ad  
Dauid XXII. XII. 1. Jud. v. g. Apocaliff. XII. 7.  
Giesf. 1739.
53. Jon. Conr. Schrammii novissimum prophetarum de novissim.  
vaticinium ad Dauid XII. 2. Helmsf. 1774.
54. Jo. Christo. Wespius de juvent labiorum ad Rog. XIV. 3.  
Witeb. 1711.
55. Jo. Friedr. Inagius de poenitentia bestiarum Virivictica  
ad Jon. III. 7. d. Leip. 1670.
56. Mich. Procius de Rabbinis templum tercium tingentibus  
ad Hag. II. 7. Witeb. 1677.
57. Jo. Andr. Quensperius de desiderio omnium gentium ad  
Hag. II. d. Witeb. 1668.
58. Sam. Leimonius de confessio pauci ad Eccl. VI. 12. 4  
13. Norn. 1705.
59. Jo. Johsi. Neunhertzi ogem. philol. in Katleh. II. 15. 16. Leip. 1777.
60. Jon. Conr. Schrammii programma, quo defensio quaedam  
Septakenti Worthheimianis expend. ad Helmsf. 1787.







32  
42.  
PROGRAMMA

DE

NVMINE ISRAELIS  
TVTELARI

PS. CXXI.

DIE MICHAELIS FESTO

A. MDCCXXXII.

P. P.

---

HELMSTADII

TYPIS PAVLI DIET. SCHNORRII ACAD. TYPOGR.

PHILOSOPHIAE  
MAGISTER

1755

PHILOSOPHIAE  
MAGISTER  
PHILOSOPHIAE  
MAGISTER  
PHILOSOPHIAE  
MAGISTER

# PRORECTOR ET SENATVS ACADEMIÆ JULIÆ

CIVIBVS SVIS

S. P. D.



I quid est, Cives carissimi, quod pietatem alere possit atque sustinere, quod tranquillitatem asserere animo atque conservare, meditatio certe est assidua providentiæ, qua mundum regit ac gubernat æternum Numen, tutelæque, qua salutem hominum idem consulit. Pietatis nutrimentum est, quia venerationem auget & fiduciam erga Numen, quod incredibili sapientia, cura & benignitate ineffabili, universum hoc moderari, rebusque mortalium prospicere, homo intelligit: Tranquillitatem parit augetque, quoniam efficit, ut pro certo credat homo, nihil sibi, si quidem officii sui partes omni studio expleat, & neque improbitati neque desidiæ sese tradat, eventurum, nisi quod salutare sit: Et licet mala interdum videantur, quæ contingant, exitum tamen fore optimum. Quod diligenter qui cogitat, is sane patienter feret adversa, & periculis obsessus bono erit animo, præsidio confusus divino, ac totum se, resque suas omnes, Deo providentissimo permittet. Animo autem sic conformato quid pacatius esse potest, quid tranquillius? Quamobrem nimia esse vix potest consideratio illa, qua, quantopere a Deo curentur mortales atque protegantur, ad animum quis revocat. Illam igitur qui stato quotannis die in cœtu Christiano publice jusserunt suscipi, eaque de causa festum instituerunt Michaelis archangeli, non male profecto de religione, ipsaque hominum

A 2

feli-

felicitate sunt meriti. Sit origo festi superstitioni cuidam tribuenda. Sit ficta illa archangeli apparitio, qua motus Apulix Præsul, cui obtigisse ferunt, speluncam quandam montis Gargani, eadem in Apulia, pro templo dedicasse dicitur Angelorum principi, & solennitatem, in honorem ejus, constituisse anniversariam. Occasionem interdum dedit supersticio institutis præclaris atque utilissimis. Culpet quis fidem fabulæ habitam, sed non culpet ritum, a fabula quidem profectum, sed ita tandem a superstitione perpurgatum, ut displicere nec iis nunc possit, quibus mens est ab omni *δεισιδαιμονία* alienissima. Quid enim, quæsumus, nunc agit festo hoc grex Christianorum purior? Hoc agit, ut ingens illud devoto pectore animoque grato prædicet beneficium, quod procuracione rerum humanarum benignissima in homines confert supremum Numen, & quo custodes eisdem dat spiritus cœlestes, qui ipsos tueantur, & a malis defendant. Quod quis adeo ab omni pietate derelictus est, ut reprehendere ausit? Habeatis ergo, Cives, diei huius religionem vobis quoque commendatam, animumque illo nobiscum piis pascatis cogitationibus ex oda illa sacra, quæ psalmodum in libro locum tenet centesimum & vigesimum primum, ac in illis eminet, quibus providentia & tutela, qua mortale genus fovet Deus, celebratur. Sitemus illam ob oculos vobis, quia brevis est, integram, interpretatione aliqua deinceps declarandam.

v.1. שיר למעלות אשא עיני אל ההרים מאין יבוא עזרי :

2. עזרי מעם יהוה עשה שמים וארץ : 3. אל יתן למוט רגלך :

אל ינום שמרך : 4. הנה לא ינום ולא יישן שמר ישראל :

5. יהוה שמרך יהוה צלך על יד ימינך : 6. יומם השמש לא

וככה וירח בלילה 7. יהוה ישמרך מכל רע ישמר את נפשך :

8. יהוה ישמר צאתך וכואך מעתה ועד עולם :

v.1. *Canticum graduum. Tollo oculos meos ad montes. Auxilium meum undenam proficiscitur?* v. 2. *Auxilium meum a Jehova venit, celi terræque conditore.* v. 3. *Non patietur is vacillare pedem tuum, nec dormitat qui custodit te.* v. 4. *Non dormitat, inquam, nec dormit custos Israelis.* v. 5. *Jehova custos tuus, Jehova umbra tua est super manum tuam dextram.* v. 6. *Non feriet te sol interdiu, aut luna noctu.* v. 7. *Jehova custodiet te contra omne malum, custodiet vitam tuam.* v. 9. *Jehova*

va custodiet exitum tuum & ingressum tuum, ab hoc tempore in perpetuum.

Inscribitur, ut videtis, psalmus שיר למעלות, *canticum graduum*, sive *pro gradibus*, quo titulo & psalmus proxime præcedens, & qui hunc excipiunt quatuordecim, ad CXXXV usque, insiguntur. Rationes inscriptionis & expositiones afferri solent variæ ab interpretibus: in quibus R. DAVID KIMCHI, a) ideo sic appellatos fuisse contendit psalmos memoratos quindecim, quod decantari a Levitis sueverint ex gradibus illis quindecim, per quos ex feminarum atrio, in templo Hierosolymitano, ad illud Israelitarum ascendendum erat. Provocat Kimchi ad Doctorum Talmudicorum auctoritatem, qui Levitas referunt, b) dum in atrio feminarum nocturna ageretur festi tabernaculorum solennitas, qua nulla unquam, si Judæis credimus, illustrior fuit, gradibus modo indicatis insistentes, psalmos illos, & ex gradibus quidem singulis singulos, ad instrumentorum musicorum concentum, esse modulatos. Cui Judæorum cum veterum tum recentiorum de titulo illo, (quem LUTHERVS noster reddidit, *ein Lied im böhern chor*) sententiæ ut describeretur, rationes movere possunt quatuor. I Vocis מעלה, *maaleh*, significatus maxime proprius, ac fere perpetuus is est, quo *gradum* notat, per quem ex loco humiliori ascenditur ad altiorem. Recte igitur exponitur formula, שיר המעלות, *canticum graduum*, seu *ex gradibus recitandum*. II Inter omnes antiquitatis Hebræicæ peritos constat, suevisse psalmos in templo a Levitis voce recitari canora, concinentibus instrumentis musicis. Itaque non alibi, quam in templo, quæri oportebit gradus, de quibus agitur. III Numerus psalmorum inscriptione ista notatorum exacte respondet numero graduum, ex atrio feminarum ad illud Israelitarum ducentium. Psalmi sunt XV, gradus erant totidem. Paratum quidem Levitis odeum fuerat etiam aliud, ubi quotidie canerent, idque pariter super gradus, illos puta, quibus atrium Israelitarum ab atrio distinguebatur sacerdotum; sed erant illi non nisi quatuor. IV. Valere utique hujusmodi in rebus multum debet Talmudico-

a) In *Commentar.* ad Pf. CXX, 1.

b) In *Middot.* cap. II. sect. V. & in *Succa* cap. V. sect. IV.

rum auctoritas, quorum non pauci & templum viderunt superstes, & cultum Dei publicum in eo florentem, adeoque ritus hujus omnes accurate habuere cognitos.

Porro observanda generatim de psalmo hoc sunt quatuor. I. Spectare eum, uti spectant complures alii, non ad hominem aliquem singularem, sed ad gentem Judaicam universam. II. Compositum videri post exilium Babylonicum; III. recitatum vero a choris, sive cœtibus Levitarum duobus, quorum unus personam sustineret totius populi, alter huic per antiphonam quandam responderet. Prior chorus versus cecinit duos primos; alter vero reliqua. IV. Opponi hic perpetuo Diis gentium fictis Numen verum, quod Israelitæ adorent: sic ut doceatur, Israelis Deum vere potentem esse, ac prospicere hominibus eosdemque tueri; cetera vero, quæ superstitio colat, numina nec juvare cultores suos posse, nec cura eorum ulla affici. Quibus introductionis loco præmissis, verba psalmi sigillatim nunc expendemus.

*Tollo*, inquit ecclesia Judaica, *oculos meos ad montes*, desiderium exprimens enixum, quo auxilium tutelamque, ex montibus sibi adventuram, appetat & exspectet. Montes vero intelligit eos, quibus Hierosolymorum urbs, illum maxime, cui templum insidebat, Dei habitaculum. Hunc se adire ait, aut vultum saltem ad eum convertere, dum auxilium petat. Innuit igitur, idem sese quidem agere, quod gentes agant aliæ, quibus ad montes respicere & concurrere solemne sit, auxilii impetrandi causa; agere vero & animo rectiori, & effectu meliori. Persuasum enim gentibus plerisque erat, Deos in montibus potissimum versari: quocirca & templa ac delubra in montibus maxime solebant extrui. Nec dubitarunt aliqua montes pro numinibus habere ipsi, & tanquam Deos colere. De templis, montium in cacumine positis, nota satis res est. Ecquis enim *Parthenona* ignorat, sive Minervæ templum, Athenis in excelsa rupe, quis fanum Apollinis Delphici in Parnassi montis fastigio, quis Veneris Corinthiæ in summo Acrocorinthi vertice, quis Jovis Atabyrii in monte Rhodi insula altissimo, Atabyro, quis Veneris Acrææ in promontorio Cypri insulæ, Olympo, collocatum? Et cui denique Jovis Olympii  
non

non dictum templum est, quod Roma habuit in summo colle?  
 Ac Jovi quidem, Deo quippe supremo, in universum κορυφᾶς  
 ὄρεων, Ὀλυμπον καὶ Ἰδην, καὶ εἰ τι ἄλλο ὄρος πλησιάζει τῷ θρανῶ, *cul-*  
*mina montium, Olympum & Idam, & si quis præterea montium*  
*cælo esset proximus, consecrarunt veteres, testante MAXIMO*  
**TYRIO.** c) Montes vero ipsos quoque Deorum loco fuisse  
 cultos, idem confirmat philosophus. De Atlantis enim acco-  
 lis, & de Libyæ habitatoribus refert, d) quod Atlas illis καὶ  
 ἱερόν, καὶ ἄγαλμα, καὶ θεός, καὶ ὄρεος, *templum sit, simulacrum,*  
*Deus, & jurejurando testis invocetur.* Et de Cappadocibus, e)  
 quod montem (Κογαίωνον, *Cogaionum, vocat STRABO*) f) καὶ  
 θεόν, καὶ ὄρεον, καὶ ἄγαλμα, *& Deum habeant, & jusjurandum,*  
*per quem jusjurandum præstetur, & statuant.* Quid? quod in  
 ipso Palæstinæ littore Carmelum montem nobis memorant  
 Cornelius Tacitus & Suetonius Tranquillus, Dei nomine ap-  
 pellarum. **TACITVS:** g) *Est Judæam inter Syriamque Car-*  
*melus, ita vocant montem Deumque. Nec simulacrum Deo, aut*  
*templum, (sic tradidere majores) aram tantum & reverentiam.*  
**Recte ad hæc VOSSIVS:** h) „Significat Tacitus montem &  
 „Deum esse, & Dei sedem ac fanum. Nullum enim in eo tem-  
 „plum, ut Tacitus indicat: sed ipse mons Carmelus quasi tem-  
 „plum erat numinis: imo & corpus ejus. Nam Carmelus  
 „Deus constabat genio loci, & vasto montis corpore.„ **SVE-**  
**TONIVS:** i) *Apud Judæam Carmeli Dei oraculum consulen-*  
*tem (Vespasianum) ita confirmavere sortes, ut quicquid cogita-*  
*ret, volveretque animo, quamlibet magnum, id esse proventurum*  
*pollicerentur.* Ipsi etiam Persæ, licet a templis, aris statuisque  
 erigendis abhorrent, moris tamen habebant, editissimis qui-  
 busque conscensis montibus, precari Deos hostiasque eisdem  
 immolare. k) Hinc Cyrum legimus apud **XENOPHON-**  
**TEM,**

c) *Dissertat. XXXVIII. p. 378.*

d) *Ibid. p. 383-384.*

e) *Ibid. p. 385.*

f) *Geograph. l. VII. p. 457. edit. Almel.*

g) *Histor. l. II. c. 78.*

h) *In annotat. Var. ad SVETONII T. Flav. Vespasianum c. 5.*

i) *Loco cit.*

k) *Vid. HERODOTVM l. I. c. 131. STRABONEM Geograph. l. XV. p. 1065.*



TEM, 1) λαβόντα ἱερῆα θύσαι Δί τε πατρίω καὶ ἡλίω καὶ τοῖς αἰ-  
 λοις θεοῖς ἐπὶ τῶν ἄκρων, ὡς Πέρσαι θύσαι, ἐπιυχόμενον, *sumtis ho-*  
*stis, Jovi patrio, & Soli, & Diis ceteris in summis montium*  
*jugis, more Persis recepto, rem divinam fecisse, precesque conce-*  
*pisse.* Istum igitur communem populorum morem, quo opis  
 indigentes ad montes se recipiebant, se quidem sequi profiteretur  
 ecclesia Israelitica, sed citra superstitionem sequi, & citra per-  
 suasionem illam inanem, quasi vel a montibus ipsis, vel ab illis  
 Diis, quos praesentes ibi vulgo fingerent gentes, quidquam pro-  
 ficisci possit auxilii. Se Deum quærere & invocare, ultra quem  
 nihil sit omnino, qui fons & origo sit rerum, qui caelum ipsum  
 terramque condiderit. Hinc statim subjicit: מאין יבוא עזרי,  
 quæ verba, quoniam usus particulae מאין ita exigit, cum inter-  
 rogatione proferri oportet. *Auxilium meum undenam advenit?*  
 An forte a montibus ipsis, aut a Numine quodam montes sic,  
 ut stolidi fert aliorum opinio, possidente? Minime vero. *Au-*  
*xilium meum a Jehova obtingit, caeli terræque conditore,* non a  
 Diis aliis, quippe qui nihil valent efficere, aut producere, o-  
 pemque afferunt nullam. אכן לשקר מגבעות המון הרים אכן  
 ביהוה אלהינו תשועת ישראל. *Profecto frustra a collibus ex-*  
*spectamus auxilium, aut a multitudine montium. In Jehova cer-*  
*te, Deo nostro, salus est Israelis,* inquit Jeremias. m)

Occinit nunc chorus Levitarum alter: *Non patietur Je-*  
*hova vacillare pedem tuum.* Non permittet is, ut in pericula  
 incidas magna, o gens Deo cara! aut, si forte incideris, ut eisdem  
 succumbas. *Neque enim dormitat qui custodit te.* Gloriabatur  
 olim gens & civitas fere quælibet de Numine aliquo, quod pec-  
 liariter ipsam tutaretur. Græci ejusmodi Deos πατρώας vo-  
 cabant, εγχωρίως, seu εγγυεῖς, σωτήρας, φυλάκας, ἐποψίς, ἐπίσχυς,  
 πολισχύς & πολιάδας; Latini Patrios, CVSTODES, TVTATORES,  
*Propugnatores,* aliisque id genus nominibus appellabant. Sic e.  
 c. Ægyptus in Isidis, Creta in Jovis, Samos insula in Junonis,  
 Bœotia in Neptuni, Delphorum urbs in Apollinis, illa Athenarum  
 in Minervæ, Attica universa partim in Neptuni, partim in  
 Minervæ tutela credebatur posita. Interdum enim uni regioni  
 Dii præficiabantur plures, ex quibus tamen ille, qui maxime fo-  
 vere

1) *Cyropæd.* l. VIII. p. 233.

m) *Cap.* III, v. 23.

vere & tueri regionem putabatur, ideoque honore quodam  
 præcipuo afficiebatur, ὕπατος χώρας, *summus regionis*, dicebatur.  
 Quo illa spectant ÆSCHYLI: n)

Νῦν χαῖρε μὲν χθῶν, χαῖρε δ' ἥλιος Φάος,  
 Ὑπατός τε χώρας Ζεὺς, ὁ Πύθιος τ' ἀναξ.

*Nunc tu salve terra, salve solis lumen,*

*Et maximus regionis Deus Jupiter, & Pythius-Rex.*

Illum igitur morem respiciens Plætes significare voluit, gen-  
 tem quoque Israeliticam Numine quodam tutelari neutiquam  
 carere, imo vero tali gaudere, quod & potentius longe sit Diis  
 ceteris omnibus, & majori multo cura pro salute populi sui ex-  
 cubet invigiletque. Non dormitat, ait, qui custodit te. Non dor-  
 mitat, inquam, neque dormit custos Israelis. Apud gentes non-  
 nullas adeo altæ erant stirpes stultitiæ, ut Deos suos somnum in-  
 terdum capere sibi persuaderent. HOMERVS de Diis Græcorum  
 omnibus, ac speciatim de Jove, illorum præside: o)

Αὐτὰρ ἐπεὶ κατέδυ λαμπρὸν Φάος ἡλίοιο,

Ὅι μὲν κακκείοντες ἔβαν οἰκίῳδε ἕκαστος,

Ἦχι ἕκαστῳ δῶμα περίλυτος ἀμφιγυῖεις

Ἡ Φαισος πείησ' εἰδυῆτι πρᾶπιδεσσι.

Ζεὺς δὲ πρὸς ὃν λέχος ἦι Ὀλύμπιος ἀστροπηγῆς,

Ἐνθα πάρος κοιμάσθ', ὅτε μιν γλυκὺς ὕπνος ἰκάνει·

Ἐνθα κάθειδ' ἀναβίαι· παρὰ δὲ χρυσόθρονος ἤθη.

*At postquam occidit splendidum lumen solis,*

*Hi quidem (Dii), cubitum ituri, abierunt domum quilibet,*

*Vbi unicuique domum inclytus claudicans utroque pede*

*Vulcanus ædificaverat, sapienti mente.*

*Jupiter vero ad suum lectum ivit, cælestis fulgurator.*

*Vbi antea cubabat, cum ipsum dulcis somnus occupabat:*

*Ibi cubuit ascendens: juxta vero aureum solium habens Juno.*

Neque sane minus desipuisse orientis, ipsiusque Canaanis habi-  
 tatores superstitiosos, ex eo potest colligi, quod Elias Baalis sa-  
 crificulis per irrisionem, clamate, inquit, p) *alta voce*, יְהוָה  
 חָרַם, fortasse dormit ille (Deus vester), ut excitetur. Hæc  
 enim non dicturus fuisse videtur vates religiosissimus, nisi, so-  
 mno sese dare solere Deos, opinati fuissent homines vani, cum

B

qui-

n) In *Agamemnon*, v. 518.

o) *Iliad*, I. v. 606.

p) I. Reg. XVIII, 27.

quibus de vera religione certamen ille tunc inierat. Israelitarum vero Numen ita affectum esse negat psaltes, & contra illud, sine ulla intermissione, hominum, Israelitarum cumprimis, curam gerere confirmat. Quæ cura signis adeo claris manifestata fuit, ut exterorum etiam aliqui illam agnoverint admiratique sint. Petronius certe, homo Romanus, litteris ad Cajum Cæsarem, qui statuum suam in templo Hierosolymitano, vi adhibita, collocari iusserat, *Θεὸς τῆ προσηγότος τῶν Ἰσραήλων τὴν δύναμιν ὡς ἀπειροφῆ ἀπέθανε, καὶ μηδὲν ἐνδοίασον ἐπὶ δύναμιν τὴν αὐτῆ ἐπιδείκνυσθαι καταλιπέσαν*, *Dei, qui Judeis præesset, providentiam atque potestatem, utpote manifestam, ostendit, ac ut talem, quæ nihil relinqueret dubii ad vim ejus demonstrandam, verba sunt JOSEPHI. q)*

Pergit psaltes : *Jehova custos tuus, Jehova umbra tua est super manum tuam dextram.* Figura utitur, ab umbella, quam, ut fieri solet in regionibus calidioribus, manu quis tenet dextra, ut a radiis solis corpus suum defendat, petita. Indicat vero, Deum *protectione* sua gentem Israeliticam tutam præstare ab omni calamitatum *æstu*. Vñtatissimum scilicet scriptoribus sacris est, tutelam divinam cum *umbra* comparare. Apte quidem. Nam uti umbra grata admodum accidit hominibus, iis præsertim, qui sub cælo vivunt fervido, & ex solis ardore molestias sentiunt haud exiguas : ita nihil est, quod magis recreare & levare possit hominem periculis vitæ expositum, ærumnisque pressum, quam præsidium divinum. Latini etiam scriptores sic aliquando loquuntur, ut *umbram* pro tutela ponant sive præsidio. Sic apud LIVIUM r) Aristhenes Achæis suis, suadens ut cum Romanis ineatur societas, *Nolite, inquit, quia ultro Romani petunt amicitiam, id quod optandum vobis ac summa ope petendum erat fastidire. metu enim videlicet compulsi in aliena terra, quia sub umbra auxilii vestri latere volunt, in societatem vestram confugiunt, ut portibus vestris recipiantur, ut comæatibus utantur.* Idem historicus de oppidi Emporiarum incolis : s) *Erant etiam eozutiores, quod sub umbra Romanæ amicitie latebant, quam sicut minoribus viribus, quam Massilienses, ita pari colebant fide.*

Quæ vero ex tutamine divino redundatura in populum  
Israe-

q) *Antiquit. Jud. l. XVIII. Cap. VIII. §. 6.*

r) *Lib. XXXII. c. 21.*

s) *Lib. XXXIV. c. 9.*

Israëliticum sit utilitas, quæ securitas, statim explicatur verbis : *Interdium sol te non feriet, aut luna noctu.* Sol ferire dicitur, cum radiis suis graviter corpus afficit, illud debilitat languidumque reddit. Luna autem quomodo ferit? Docet oppositi ratio, lunæ percussione de frigore accipiendam esse nocturno. Hoc nimirum, præsertim post noctem mediam, orientis in regionibus, quemadmodum & recentiori ætate peregrinatoribus est observatum, grave & molestum est, quia frigus etiam leve, propter poros calore diurno patentiores factos, facillime ibi sentiunt corpora. Hinc Jacobus patriarcha *interdium æstu, noctu vero frigore se absumentum fuisse* ait. f) Sic Jeremias etiam propheta כרר כרר, *frigus nocturnum*, conjungit cum *æstu diurno*. u) Illud vero frigus cur lunæ attribuitur? Scilicet uti a sole æstus proficiscitur diurnus; ita lunam (quod sidus *nocti præesse* Moses x) dixerat) pro fonte & effectrice frigoris nocturni habuisse videntur, qui ad solem orientem incolebant. Fortassis & morbos a luna provenire fuit creditum. Milesii certe in Jonia morbos pestilentes, imo mortes sponte accidentes, non ad solem tantum, verum etiam ad lunam, tanquam ad causam, referre consueverunt. STRABO : Καὶ ὁ ἥλιος δὲ καὶ ἡ σελήνη συνοικισιῶνται τῆτοις ὅτι τῆς περὶ τῆς ἀέρας ἐνκρασίας αἰτιοί. καὶ τὰ λοιμικὰ δὲ πάθη, καὶ τῆς ἀνομάτως θανάτους τῆτοις ἀνάπτει τοῖς θεοῖς. *His (Apollini & Dianæ) sol & luna accommodantur, quia penes eos est potestas aëris temperandi; quin & pestilentias & mortes sponte accidentes iis imputant.* Facile autem patet, per *æstum diurnum*, & *frigus nocturnum*, omnis generis & temporis hic intelligi ærumnas, miserias, calamitates, præsertim publicas, populo universo graves. Istis igitur minime afflictum iri significatur Israëlitas, divino præsidio munitos. Fortan & respectus hic latet ad Assyrios & Babylonios, quos solem lunamque, tanquam Deos, veneratos esse constat : ut ita sol & luna pro siderum istorum ponantur cultoribus, hoc sensu : Non affligent te amplius, terram tuam non diripient ac vastabunt, nec incolas ejus in exilium posthac abripient, qui solem lunamque adorant, h. e. Assyrii & Babylonii.

Explicatius mox loquitur psaltes : *Jehova custodiet te contra*

B 2

tra

t) Genes. XXXI, 39.

x) Gen. I, 16.

u) Cap. XXXVI, 30.

y) *Geograph.* l. XIV. p. 942.

*tra omne malum, rempublicam tuam ab omni calamitate immunem præstabit in posterum, non finet everi illam denuo, si tu quidem ita, ut decet, semper tete gesseris; imo membra reipublicæ singula benignissime tuebitur. Custodiet vitam tuam, salus reipublicæ tuæ curæ illi erit, nec parietur, ut quidquam illa capiat detrimenti: Curabit etiam salutem civis cujusque.*

Concludit tandem: *Jehova custodiet exitum tuum & ingressum tuum, ab hoc tempore in perpetuum.* Egressus & ingressus actus vitæ omnes, qua publicos, seu qui foris, qua privatos, seu qui domi suscipiuntur gerunturque, denotat. Itaque fore indicatur, ut consilia & cœpta Israelitarum omnia fortunet Deus, successuque beet prospero.


Audivistis, Cives, psalten, de tutela, in quam populum Israeliticum Deus receperit, præclare differentem. Non dubitamus, quin quisque etiam Vestrum, si in vitam suam superiorem accurate inquiret, sit in illa providentiæ divinæ vestigia & documenta manifesta deprehensurus. Hæc igitur uti quovis tempore alio, ita hoc etiam die memoria vobiscum recolite, & quam gratissimi concelebrate. Omnem vero vitæ vestræ rationem ita conformate, ut porro etiam summi Dei, ministrorumque ejus cœlestium præsidio singulari possitis perfrui. Perfruemini autem, ut sacræ Vos docent litteræ, z) si *Deum revereamini*, h. e. si veræ pietati, probitati morumque innocentæ studeatis, legumque divinarum atque humanarum, quod artium liberalium cultores maxime decet, vivatis observantissimi. Id si feceritis, pericula, quæ vitam academicam varie circumstant, salvi evadetis, felicitatique Vestræ optime consulētis P. P. ad d. XXIX.

Sept. A. C. MDCCXXXII.

z) P. XXXIV, 8.
















ua nec peccatores tolerari, nec reprobis  
 quidem Diaboli vel ad momentum sub-  
 tum omnis viarum Dei ratio sive in exer-  
 dia sive in demonstranda justitia in di-  
 arum divinarum foedere jam ab aeterno  
 decreta fuerit.

XLIX.

eritur hic; Cur Filius Dei in specie Novi  
 dicatur, cum tamen sponsor jam fue-  
 Pacis Consilio, & à Veteribus jam tan-  
 nitus fuerit? Huic quaestioni occasio-  
 cinianorum Error, qui qualemcunque  
 ti virtutem ad sola Novi Test tempora  
 locus Hebr. 7. v. 22. ubi Christus voca-  
 τὴν ἐγγυος *melioris testamenti sponsor*, &  
 br. 8. v. 6. κρείττονος διαθήκης μεσίτης με-  
 mediator: at verò per κρείττονα διαθήκην  
 hic intelligi nullum est dubium, quod  
 post Christi demum τελέωσιν exequen-  
 tm Nos respondemus, quòd *melioris Te-*  
 ignatè hic dicatur Christus, non quòd  
 e sponsor fuerit, non quòd non agni-  
 t tanquam *Sponsor Testamenti aeterni* in  
 tia consilio: sed quia eo tempore &  
 niversum Dei propositum justificavit  
 quoque confirmavit & justificavit eam  
 partem, quæ signatè quoque *Novi Testa-*  
 signatur. Ita γεγονη factus est Filius Spon-  
 si, qui jam sponsor erat omnis Testa-  
 virtute aeternæ sponsionis necesse erat, ut  
 Sponsor Novi Testamenti: Quando Je-  
 st, non ideò ab aeterno non fuit. *Qui Sa-*

G 2

cerdos

56.